ELABORATIONEM TEXTVALEM SVPRA CAPVT OCTAVVM

LIBRI OCTAVI ETHICORVM Ariſtotelis, de quærelis in amicitia.

IVXTA TOLOSANAM priſcam verſionem amicos pares, & impares amplectentem.

Ad Cathedram Philoſophiæ Moralis in Complutenſi Academia.

Egregio Æquitate ſuffulto, nobilitate ſtemmato, Caſtellæ, & Regali Senatui, conſecrat Supplex

Magiſter Fr. Ioannes Prudencio Prouintiæ Aragonidæ Definitor.

Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Captiuorum Redemptricis.

De Superiorum permiſu.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SEVILLA



Lectori notaturo.

TEXTVM istum intra viginti quatuor horarum curriculũ cucurri, attramentoque papyrum humectante semoto totum, & sola coniectauit atentio. Tot produco testes, quot me inuisere, & inuenère ab huiuscemodi instrumentorum armatura extorrem. Duo alia puncta, quæ obtulit sors, depelli. Primum ad Politicorum libros spectans de Magistratibus edisferens. Secundum, librum quartum ethicorum referens de voluntario & inuito ventilans. Ambo, quia peruia, & comẽtã tium calamis perfricata, despexi. Primo tractatus de iustitia legali; nec non quæstiones de legibus ministrabant additum. Secundum Theologicæ lucubrationes de voluntario in voluntarium red debant fœcundum. Hunc inquam textum vtroque brachio triturandum arripui, in cuius expensione vix paruum digitum incuruauerunt ethici. Sicque vexatio, tum à temporis angustijs suborta. Tumque ex cæterorum semitarum abolitione prosiliens, me impelleret commentatorẽ in id, quod aliorum præter volauit coniectatio. Notaturus

mæ principis partis adhæresco. Hæc me constituit potentem intentum authoris, & connexionem capitum celeriter percurrere. Intenti reddet conscios lectionis processus. Connexio non aliter patefiet, quàm conferens textum nostrum cum anteuntibus, & post venturis illum.

Connexio capitum à 1. octaui libri vsq; ad octauũ nostrum.

Connectitur cum 1. huius octaui libri. Exinde cursum cępit Aristoteles, vt nimis insudans conceperit cũ dolore, & nostri textus pareret iniquitatem. In illo igitur 1. postquam discusserat in calce de amicitia, precatur amicitiæ conseruationem, quæ nostræ naturalis fœlicitatis non est floci pendenda pars, & monet: cauendum fore à quærelarum obice beneuolentiæ funes dilacerante. In præsenti nostro capite totus est author in declarandis; imo, & in euertendis quærelis, quæ amicorum animos crudeliter perturbant.

Amicitiæ conserbatio quærelas fugit

Connectitur cum secundo; ibi enim edisserens de amicabilitate Patrem, & Filium annectente, resoluit: Patris erga Filium esse maiorem amicitiã, quam è cõtra, & hoc non obstante licere aliquando Patri propriũ filium à se genitum abdicare. Huius vltimi asserti rationem ibidem non præstitit author, sed elegantem illam in præsenti præbet. Licere aliquando Patri Filium propellere à se, quando iste malitia ingenti præpolleat in se.

Patris ad filiũ amicitia charior.

Connectitur cum 3. ibidem enim resoluerat: amicos non fore censendos, qui propter vtilitatem capessẽdam, diligunt alios, & posuit exemplum in ijs, qui facetos amant; illi enim non flagrant infacetos absolutè, quia faceti sint; sed quia ex illorum facetijs iucunditatem sugunt. In præsenti textu idem repetit conclusione secunda dicens: ideo quærelas potissimè in amicitia vtilium suboriri, quia amici amicis non solicitant proficua, sed sibi desiderant vtilitates.

Amicitia quæ sua sunt, non quærit.

Connectitur cũ 4. ibidem decreuit: malos vera amici

tia non vigere;quia homines praui semper quærelis ebulliunt. In præsenti textu condit apotegma: stabilem esse amicitiam, quando amici incusationes vicissim omittunt, sed hoc exequi, etsi liceat omnibus, non valēt omnes, sed solum boni viri.

Homines prauos, quia criminatrices amicos non esse.

Connectitur cum quinto, nam ibi serens verba de amicitia interrupta, ait: amicos absentes propter Epistolarum inscriptionis incuriam amicitiæ interijcere operationes, & sic mutuo se increpant. In præsenti verò interruptionis beneuolentiæ eandem causam assignat Aristoteles.

Inter absentes Epistolarum omisio minuit amicitiam.

Connectitur cum sexto, ibi enim certum reliquerat: senes & homines tetricos difficulter amicitiam conseruare, quia illi præ nimia ætate redduntur litigiosi; isti vero, quia ferrea humorum contextura coaliti mordicantes in quærelas erumpunt. In præsenti vero firmat: homines ad litigium pronos esse amicitiæ impotes, & ponit exemplum in senibus, & tetricis hominibus.

Senes & tetricos homines difficulter amicari.

Connectitur cum septimo, nam ibi promiserat indagaturum fore in octauo capite quærimonias in amicis repertas, in præsenti (quod est octauū) capite id sculpit; sicque adimplet verbum, quod pollicitus fuerat. Ecce capitum anteriorum cum nostro connexio.

Connectitur cum 1. libri noni huic nostro immediatè subsecuto. In illo enim plura, quæ indigesta reliquit author, iterat in 1. noni, vt ea prosequens maiori indagine concocta remaneant. Et hæc est prima partiuncula primæ principis partis.

Quærelarum inter æquales textualis discusio.

SEcunda promisit: Aristotelis asserta quærelas in amicis æqualibus in dagantia in medium edere. Sed nos

no

notantes admonet Author ante suorum placitorum cõditionem. Amicitiam esse tergeminam iuxta trifarium bonum, quod inspicit, honestum scilicet, vtile & delectabile; aitque, in vtriusque boni specie amicitiam posse recto stylo contrahi, quod brebiter percurrit 1. in amicitia honestum amplectente amicitiæ vinculo annecti posse, tam eos, qui in equilibrio extant honesti, quàm qui honestatis inæqualiter vestiuntur bonitate. Secundo, in amicitia delectabile insectante posse vicissim amicari eos, docet, qui pariter sunt iucundi, quam illi, quorum vnus est iucundior alio. Tertio, in amicitia vtilitatem sciscitante posse pares, & impares infortunæ bonis amicitiæ vinculis ligari, omnibus compertum esse, stabilit. His præiactis.

Amicitia triplex honesta vtilis & delectabilis.

Ponit Author resolutionem sui quæsiti responsiuam: In vlla amicitia præter amicitiam vtilium incusationes suboriuntur. Tres partes continet placitum. Prima, quòd in amicitia honesta non assurgant quærimoniæ. Secunda, quòd in amicitia delectabilium notabiles non subpullulent quærelæ. Tertia, in amicitia vtilium eximias ebullire criminationes. Ista omnia sigillatim comprobat Aristoteles ita anguste, cocissoque stylo; vt primo aspectu appareat, rem difficilem sua explicatione difficiliorem reddidisse. Sed pellamus tenebras, & probationes Aristotelis clarioribus verborum periodis mætafisico puluere dispersis protendamus.

Probat Author primam partem, videlicèt, quòd in amicitia propter honestatem inter æquales non contingant incusationes. Eius probationem ad hanc formam redigo: Amici propter honestatem sunt propter virtutẽ amici, ergo amici propter honestatẽ non patiuntur quærelas. Antecedens probet textus Aristotelis. Vbi hæc Author non in amicitia alia honestas, quam honestas virtutis, ergo qui amici steterint propter honestatem,

Lib. 3 ethic c. 5.

erũt propter virtutẽ amici Tũc sic: sed amici propter vir tutẽ quærelis orbãtur. Ergo amici propter honestatem quærelis non succũbũt. Probo minorẽ: nã amici propter virtutẽ sunt vicissim proni ad benefitia cõferenda. Ergo amici propter virtutẽ, quærelis orbãtur. Antecedẽs probo: quia virtus amicitiæ est habilitas ad benefitia cõferẽda. Ergo amici propter virtutẽ sunt proni ad benefitia cõferẽda. Antecedẽs probet textus Aristotelis: in cuius specie stabilit: amititiã esse habitũ ad pellendã difficultatẽ, quã præsentit quispiã in collatione donorũ, quæ possidet. Et hoc ipsũ antecedens ex ratione, cui Author ibidẽ initebatur, fulcitur. Nã per repetitionẽ collationis benefitiorum gignitur virtus amititiæ. Ergo hæc est habilitas genita ad benefitia conferenda. Cõsequentiam probet textus in cuius specie Author generalẽ quãdam doctrinam virtutum statui inseruientem exarans, habet hæc: est virtus promptitudo ad eliciendo factus similes illis, à quib⁹ genita est. Sed amicitia gignitur per repetitionem collationis benefitiorũ, vt patet de textu præallegato 3. lib. ethic. Ergo amicitia est promptitudo ad benefitia conferenda per similes actus, quibus genita est. Ergo homines habentes illam reddet amicitia pronos, ad benefitia conferenda. Ergo amici propter virtutem, prone sibi conferunt benefitia & vicissim. Sed cum collatione benefitiorum non stat quærela. Ergo amici propter virtutem minimè affitiũtur quærelis. Tunc sic: sed amici propter virtutem sunt propter honestatem amici. Ergo amici propter honestatem incusationes non patiuntur.

Lib. 8. capit. 2.

Aristotel. 3. lib. ethicorum. 2.

Incremẽtum sumit hæc ratio ex subobscuris verbis, quia brebib⁹, eiusdẽ Aristotelis hic: *Amãti, & benefitia conferenti succenset nemo.* Ex quibus cum illo infero. Ergo amici propter honestatẽ nõ sibi succẽsent. Antecedẽs non probat peruie Author, sed ecce probationẽ

conſpicuam. Eo ipſo, quod amico propter honeſtatem benefitium præſtetur, redditur gratus amãti & benefitia conferenti. Ergo amanti, & benefitia conferenti ſuccẽſet nemo. Antecedens probo ex Cicerone: ſolum prabus benefitio accepto abutitur. Ergo ſentit: quòd amicus propter honeſtatem probus redditur gratus amanti, & benefitia conferenti. Ergo amanti, & benefitia cõferenti ſuccenſet nemo. Probo illationem hãc: Eo ipſo, quod amicus honeſtus reddatur gratus benefitia ſibi cõferenti, compenſat benefitium illi exhibitum: Sed non poteſt compẽſare, & illi ſuccenſere. Ergo eo ipſo, quòd amicus honeſtus reddatur gratus non poterit illud conferenti ſuccenſere. Maiorem docet Seneca: *Compenſat benefitium ille, eo ipſo ictu, quo æquo animo illud amplectitur.* Minorem probo: Velle compenſare benefitium eſt voluntas conferendi bonum alicui non diſonans. Vt patet de textu Ariſtotelis. Ergo, qui vult compenſare alicui benefitium illi non poteſt ſuccenſere. Probo cõſequentiam: nam ſuccenſere alicui eſt in re graui cum illo iraſci, conando eidem per magnum malum infligere. Ergo qui vult compenſare benefitium alicui, nõ poteſt illi ſuccenſere. Antecedens eſt edoctum ab Ariſtotele, qui inter effectus iracundiæ voluntatem alteri ſuccẽſendi numerat. Conſequentiam probo: nam compenſare vt vidimus ex 1. lib. Politicorum tex. 3. eſt velle conferre bonum alicui, & ſuccenſere eſt velle malum infligere, vt patuit ſuprà ex eodem Philoſofo, ſed velle malum alicui, & velle malum infligere, repugnat, vt cõſtat ex pugna obiectorum, circa quæ ambæ voluntates verſantur. Ergo repugnat velle benefitium compenſare alicui, & illi velle ſuccenſere. Sed amicus honeſtus eo ipſo, quòd benefitium recipiat, redditur gratus conferenti. Sed eo ipſo, quòd reddatur gratus, benefitium acceptum compenſat, & rurſum eo ipſo, quòd compen-

Cicero Oratione 1. ad Proculum.

Senec. lib. 2. de amicitia.

Ariſtoteles 3. lib. Politic.

Ariſtoteles lib. 3. ethic. c. 7.

Succenſere eſt velle m ilũ infligere.

ſet, non ſuccenſet. Ergo amico honeſto amanti, & beneſitia conferenti ſuccenſet nemo. Ergo amico propter honeſtatem quærelas non patiuntur. Sic probata manet prima pars placiti Ariſtotelici.

Secundam partem inſumit Ariſtoteles probandam, aiebat enim: amicos amicitiæ delectabilitatis iniunctos in gentibus non affici incuſationibus, quàm vt probet, ſupponit. Hos amicos prius conuerſari de his, quæ enixè expetunt ambo. Hoc iacto: rationem parat Ariſtoteles. Vel amicus gaudet in delectabilibus de ſocietate amici, vel non gaudet. Si gaudet, fruſtra illum increpat, ſi non gaudet, perperam illum incuſat, ſi illi non extiterit iucundus, cum poſſet illum depellere, & eius cõuerſationem vitare, nec non latenter quærelas omittere

Regulariter in delectabili, non ſuboriri quærealas.

Sed addit Ariſtoteles aliquas ſuboriri incuſationes in delectabilium amicitia; potiſsimè in voluptatibus ex cibo, potuque coalitis, quia cùm iſtæ ſint delectationes tranſitiuæ aliquando vertuntur in tædium, & contingit non ſemel, vnum ex amicis alium (dum inuitat ad eſum) inuenire quaſi atædiatum; imo pluribus nocumentis obrutum, quam bene Picus Mirandulanus!

Picus Mirãdulan.

Viſus hæbet, fumant artus; cerebrumque rotatur.
Nec facit offitium pes, animuſue ſuum.

Et ideo Horatius:

Horatius

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Et Sylius Italicus 15.
Punicorum:

Syllius Italicus.

Quantum ſola noces animis illapſa voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus & atris.
Circum te ſemper volitans infamia pennis.

Et ijs Seneca aureum adde. Exinde, hoc eſt, ex voluptate, pallor eſt, & neruorum vino madentium tremor. Exinde incerti labantium pedes, & qualis in ipſa ebrietate titubatio. Exinde innumerabiliũ febrium genera,

Seneca.

nera, aliarum impetu ſubeuntium. Aliarum tenui peſte repentium. Aliarum horrore & multa membrorũ quaſatione venientium. Ex quibus fit: ex voluptate corporea nedum atædiari homines, ſed magnas corporis iactu ras ſubire. Vnde in caſu, quo amicus cibi, vel potus cupidus inſtet alium ſibi familiarem, vt ambo voluptatibus ſapidiſsimis ſe tradant, ſi iſte ſaturatus extiterit; vel infirmitatis periculo præterritus ſe nolle mãducare reſponderit. Tunc ille de hoc conquæritur, & mutuo incuſationibus ſe increpant. Ergo in amicitia delectabilium quærelæ aliquæ ſubpullulant.

De quærelis inter amicos impares textualis diſcuſio.

TErtia placiti Ariſtotelici pars erat: amicitiam vtilium imboluere ſecum incuſationes, & quærelas, quã vt probet Ariſtoteles: ſupponit: amicitiam vifario eſſe accipiendam non abſimiliter, ac iuſtitiam relinquit diuiſam. Iuſtitiam: aliam eſſe legalem, & ſcriptam, aliã. que ilegalem, & non ſcriptam. Illam eſſe ex pactione ortam. Hanc ex more gentium deriuatam profitetur. Sic diſcurrit diuidens amicitiam. Aliam moralem & ilegalem ex gentium more originem ducentem. Aliam legalem iuſtitiæ legali correſpondentem ex promiſsione, vel pactione promanantem. V.g. ſi amicus amico dederit benefitium, illum alloquens ſic: do tibi, vt quando tibi placuerit, retribuas. Hæc eſt amicitia legalis, & cum iuſtitia legali communicans; licèt ab illa diſcrepet, quatenus hæc, vt obliget, præter pactionem ex parte promittentis acceptationem ex parte promiſſarij depoſcit: at amicitia legalis, licèt illam conuentionem ex parte benefactoris ſupponat; nullam petit ac-

Ariſt. 3. lib. ethic. cap.4.

Duplex amicitia legalis & illegalis.

ceptationem verbalẽ ex parte benefacti. Si vero amicus amico conferat benefitium, illum alloquens sic. Ego tibi hoc donum exhibeo, tunc exercet actum amicitiæ moralis ex more genitum illas ad benefaciendum sibi vicissim pellicente. Hæc non ita clarè Aristoteles depixit.

Sed cursim sum notaturus, quòd (sicut cætera) omisere commentantes; dum Aristoteles: hanc amicitiam vtilium moralem appellauit, non est intelligendus, illam virtutem moralem nominasse, de qua definitionem primo capite huius libri octaui attulit, & inter alias morales virtutes sedem occupare fecit. Sed ideo moralem appellauit, quia nobiliorem, vtpote liberaliorem, quia haud vlli retributioni ex pacto fidem reponens benefitium præstitit; sed ex honestate benefitium conferendi condonauit. His iactis.

Origo quærelarũ in amicitia vtilium.

Conclusionis intentum Aristoteles probat: nam amici amicitia vtilium, licèt quo ad verborum corticem sibi propria amicis non exhibuerint animo retributionis: tamen in præcordijs latet intus intentio recipiendi ab amico benefitij compensationem: ex quo fit: quòd si illam non assequitur, statim increpet, & incusset. Et rationem huius in textus medullis latentem exhibeo: quia qui benefitium conferunt (loquimur de amicis amicitia vtilium) illud præstant, vt dissimulent honestatem; at cum sit proprium hominibus vtilia anteponere virtuti; fit ex hoc; quòd amici amicabilitate vtilium ad stricti, nunquam benefitium præstent absque intentione remunerationis, adeo quòd si amicus non ita soluerit, & pro recepto fauore aliquid non rependerit, protinus amicus quærelarum collubione corrodit amicum. Vnde ille qui dedit, non absolutè vt condonans benefitium contulit,

sed

ſed quaſi mutuans in ſpe retributionis,id fecit,nōvt mutuaret, ſed vt daret, quòd ſi nō aſſequatur, cōquæritur, non quia mutuauerit, ſed quia donauerit. Vt ſi quis in nuptijs amico dederit annuiū animo recipiendi tantūdem,vel plus,quòd ſi non aſſequitur, iraſcitur amicum increpans; non quia mutuauerit, ſed quia donauerit reticens intentionem,quam in principio habuit de retributione. Ex quo coligit Ariſtoteles: in amicitia vtilium eximias inter amicos ſubpullulare criminationes. Sic finem imponit quærelis in amicis æqualibus ſubortis,& hæc de 2. particula P. principis partis.

Secunda promiſit incuſationes amicos inæquales perturbantes eruere, & illos in concordiam reuocare, & primo ponit inter amicos impares non ſemel diſcordiam eorum animos acerbè incutere, & huius diſcordiæ originem,tam ex parte potentiorum. Quam ex inferiorum latere, aſſerit, eſſe aſsignandam; nam quilibet,tam ſuperior,quàm inferior iudicat dignum, quòd plus habeat in ſe,& ſi id non aſſequitur,quilibet cōquæritur,& ambo catenulas amicitiæ, quibus tenebantur, abrumpunt. Hoc iacto: oſtendit,quærelas ex parte ſuperiorum,nam præpotens iuſtè de ſe iudicat, eſſe dignum, quòd plus habeat in ſe. Ergo dum non aſſequitur illud, iuſtè quærelas emittit. Antecedens probat Author ex paritate:nam dignior in amicitia adhuc honeſta iuſtè exiſtimat plus ſibi deberi vltra id, quòd habet in ſe. Ergo vtilior in amicitia vtiliū iuſtè præſumit ſibi deberi vltra id,quòd habet in ſe. Conſequentiam probat paritas. Antecedēs probet textus Ariſtotelis huius octaui libri, in cuius textus ſpecie decernit:bonum eſſe virtutis præmium. Ergo meliori magis de bonitate præmij debetur. Ergo melior adhuc in amicitia honeſta iuſtè iudicat dignum,ſibi deberi vltra id,quòd habet in ſe. Ergo ſi non aſſequitur,iuſtè conquæretur potens amicus.

Amicorū inæqualium diſcordia.

Origo quærelarum ex parte potentium.

Se-

Secundo id ipsum probat Aristoteles de quærelis ex parte pauperum se tenentibus: isti enim iudicant dignū, quod plus habeant in se, & vt id non obtinent, de diuitibus amicis conquæruntur; etenim indigi, & qui deterioris sunt conditionis, dicunt, diuites sibi debere subuenire; aliàs nihil proficeret inferiori amico amicum diuitem habere, si illum à miseria quàm patitur, non eriperet: proprium enim est diuitibus, pauperibus opem ferre; quod si à necessitate non liberantur, statim in diuites inuehuntur quærelis.

Origo querelarum ex parte indigi.

Sed in concordiam vocat Aristoteles amicos istos dissidētes. Fatetur, quemlibet illorum rectè de se iudicasse quod scilicèt sint digni, quod plus habeant in se; illis plus deberi, vltra id, quòd obtinent, atque adeo vnicuique est elargiendum, sed non de eodem, hoc est, quod vtiliori rependatur plus honoris. Pauperi verò plus lucri; ita vt, is, qui pecuniarum, aut virtutum vtilitatem cepit, honorem reddat, oportet, id, quòd potest, reddēdo, id est secundum virium suarum actiuitatem; amicitia enim id, quod fieri potest, exposcit. Non enim in omnibus amicitijs fieri potest, vt secundum dignitatem retributio fiat, sed secundum id, quod fieri potest. Dijs enim immortalibus, & parentibus, non tanta benefitia reddere possumus, quanta eis reddenda sunt.

Amicorū inæqualium concordia.

Ex ijs tandem infert Aristoteles: Filio nunquam licere Patrem abdicare à se, & rationem dat: nam debentē reddere oportet. Sed Filius quantumuis conetur proprium debitum, quod cōtraxit extinguere, semper debitorem manere, est necesse: igitur nunquam poterit Filius Patrem à se abdicare.

Filio licere nunquā Patremà se abdicare.

Secundo infert: licere Patri Filium propellere à se, sed nullus Pater vellet Filium à se abdicare, nisi is maxima prauitate præpolleat. Ratio huius: nam semota amicitia naturali, humanum est opem petentibus, &

Patri licère aliquādo Filium propellere.

egentibus non negare, igitur magis humani est, auxilium Filio petenti præbere. Filio autem prauo neganda est à Patre opes. Nam plerique hominum volunt quidem benefitia suscipere; nolunt autem benefitia conferre; aut benefitiorum collationem tanquam inutile fugiunt. Sic finitur prima elaborationis pars princeps, & tota litera textus.

Quæstio suprà textus intelligentiam, an amicus amans amicum iustè conquæratur de amato, eo, quòd ab illo solum redametur?

SEcunda præcipua pars meæ elaborationis textualis promisit: quæstionem consanguineorem textus eruere. Commentarios legi ad hoc caput, neminem vidi excitantem aliam, nisi hanc ijs terminis exploratam. *An Pater possit quærelas iuste proponere aduersus Filium, & è contra?* Sed illam omitto, nō quia non germanam, sed quia communiter circumlatam. Aliam moueo vsque ad medullas textus se insinuatem, non contrectatā manibus, nec oculorum commentantium puctam obtutibus. Ijs igitur fabrefit vocibus. An amicus amicum amans iuste conquæratur de amato, eo quod ab illo solū redametur? Hanc in duas partiar partes. Prima notabilia referet. Secunda conclusiones formabit, & firmabit. Primæ parti respondens, noto: me in præsenti non agere de amicitia insumpta pro amore quouismodo animum erga alium inclinanté, nec de amicitia illa, quæ hoc vel alio genere in hominis corde regnat. Nam teste Anonimo amicitia inter pocula contracta plerumque solet esse vitrea; nōnunquam enim fit: vt interpotandum simus coniunctissimi; at mane concocto vino, humanitas, quæ antea arctissima videbatur, sæpè simul cū vino euanescit. Vel potius ita ardescit, vt nonnunquam in firmam rabiem vertatur, nec fidendum est in eius fir-

Anonim. de amicitia voluptifica.

mitate primo acquisita, quod postquam interrupta fuerit, in pristinum redigatur statum. Nam vt rectè Plinius, vt Adamas si frangi contingat malleis in minutissimas disilit crustas; adeo vt vix oculis cerni queat; ita intima coniunctio familiaris, si quando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem, & ex arctissimis fœderibus, si semel rumpantur, maxima nascuntur insidia, & querelæ. Hæc Plinius de amicitia optimis exercitijs genita, & validis honestatibus suffulta. Si hæc de ista ille, quid de amicitia inter pocula vino madentia agenerata eius effabitur lingua? quid? quod semel abrupta, & si in primordijs axim agnouerit firmam, nunquam integritate amplius affitietur, non absimili modo, acsi christalum vinum, quòd est eorum pacificus mediator, labascat, eius fragmenta sarciri non possunt. Igitur de amicitia hac consideratione parta nō est lis, quod in ea promiscue iustæ & in iustæ; imo & barbaræ nascantur querelæ.

Plini. lib. 35. cap. 4 de amicitia interrupta semel desperandū fore.

Solum est litigium de amicitia, qua pronus quis redditur, vt perpetuo diligat, ita vt tormentum non separet, labor non laxet, thesaurus non superet, alienus amor non occupet. De illa inquam amicitia sermonem evulgo, de qua hæc etulit eleganter Seneca, quæ est diuitibus pro gratia, pauperib⁹ pro censu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, pro medicina ægrotis, pro vita mortuis, ste enim eius suauissimi, fomes sinceritas affectuum mutua obsequia rerum honestarum, crebra collatio, parilitas voluntatum, vigens & inuiolabilis fides. De hac enim amicitia quæro: *An amicus alterum amans occasionem habeat querelæ iustæ aduersus amatum, si ab hoc solum redametur, nihil præter redamationem aliquid agens vltra?*

Senec. lib. 2. de amicitia refert amicitiæ munera.

Pro quo notaturus sum: Querelas geminas esse iustas, scilicèt iniustas, illas esse incusationes amici in

Querelas alias iustas in iustas alias.

amicum iuxta rationis regulas docet Aristoteles in hoc nostro textu: sicut & quòd supponat in illo, de quo iustè conquæritur, violatio mediocritatis, quàm virtus amicitiæ seruare tenetur. Iniustæ quæreiæ sunt incusationes in amicum disconformes rationis regulis: & istæ non supponunt in eo, de quo est quærimonia disruptio vera mediocritatis, quam amicitia custodit; sed ad summum existimata mediocritatis violatio. Vndè signum aperiens æquitatem, vel vitium in quærelis, non aliud paratur, quàm violatio, vel non violatio mediocritatis (cui iniusta est amicitiæ virtus) in eo, de quo alius quærelas emittit. Si amicus à mediocritate abfuerit siue per defectum, siue per excessum, iustè ab amico incusabitur; si vero mediocritatem seruauerit, iniustè infligetur quærelis, etsi à conquærenti existimetur violasse. Ex quo fit: totam litem esse in cognoscēdo, quando Petrus V.g. dicatur amicitiæ abijcere mediocritatem, quòd aliter non patefiet, nisi mediocritatem amicitiæ familiarem sigillemus: Pro quo.

Aristotel. 3. lib. ethicorum. doctrinā generalem virtuti cuilibet inseruientē euulgat.

Notaturus sum: esse generale dogma ab Aristotele sancitum: virtutem quamlibet circà propriam materiam in eius mediocritatis custodia cōsistere; hæc enim est sedes, in qua tanquam in suggestu quiescit virtus à suis extremalibus vitijs secum pugnantibus victoriam reportans. Sed quia mediocritas certa circa materiam determinatè sibi præscriptam sit virtutum specificatio teste Aristotele 3. lib. ethic. cap. 1. vbi eo modo, docet se habent mediocritates ad virtutes, ac ad scientias obiecta sua. Sed hæc in sententia eiusdem philosophi sunt scientiarum specificatiua. Fiet ex hoc: quòd mediocritates sint virtutū specificatiuæ. Vndè vicissim se respiciunt mediocritas & virtus; atque adeo determinata virtus certam mediocritatem præfigit, in qua suas operationes figat. Et cum non vna virtus mediocritates

Aristotel. 1. mæta-ph. tex. 1.

om-

omnes respicere valeat; nec omnes ab vna considerari debeant, libuit ex textu 1. huic immediato habitus cunctos referre, tam eos, qui ob defectum a mediocritate relabuntur, & eos, qui per excessum ab illa cadunt, quàm eos, qui in equilibrio medio contenti manere dicuntur. Qua notitia brebiter elapsa facilem aditum aperiam, vt quivis perspicuè mediocritatem amicitira specificātem prænoscat.

Triginti supra sex signantur ab Aristotele habitus; quorum viginti quatuor vitiosi conduntur.

Per excessum habitus.	*Mediocres.*	*Per defectum habitus.*
Auaritia.	Fortitudo.	Timiditas.
Intemperantia.	Temperantia.	Insensibilitas.
Prodigalitas.	Liberalitas.	Illiberalitas.
Sordiditas.	Magnanimitas.	Pusilitas.
Lenitudo.	Magnificentia.	Pusilanimitas.
Ambitio.	Mansuetudo.	Vacuitas honoris
Iracundia.	Modestia.	Vacuitas iræ.
Arrogantia.	Veritas.	Dissimulatio.
Adulatio.	Affabilitas.	Contentio.
Scurrilitas.	Comitas.	Rusticitas.
Pauor.	Verecundia.	Inpudentia.
Et invidia.	Et indignatio.	Et maleuolentia.

Isti enim habitus ita se habent, vt inter illas superbas per excessum rupes, & has humillimas per defectum callēs ambulent itinerariæ virtutes mediocritatū obseruatrices. Omnes enim mediocritates duodecimo præallegato numero continentur exactè: nam earum differentiæ comptè ex diuerso modo in bonum depromuntur. Hoc inquam bonum, vt vidimus in textu est triplex

 vti-

vtile ſcilicèt honeſtum, & delectabile. Si eſt circa vtile, hoc contingit dupliciter. Vel enim eſt commune vtile, & circa illud iuſtitia verſatur. Vel vtile particulare, & hoc euenit dupliciter. Vel enim eſt vtile eximium, & ſic eſt magnificentia, quæ circa magnos ſumptus, & celebres adminiſtrationes verſatur. Si circa honeſtum ſit, hoc dupliciter contingit. Vel illud honeſtum eſt bonum mediocriter honorabile, & in illud tendit modeſtia. Vel eſt celebriter honore affitiendum, & ſic magnanimitas circa illud verſatur. Si ſit circa bonum delectabile, hoc contingit dupliciter, vel priuatiuè, vel poſitiuè. Si priuatiuè; hoc contingit gemine, vel circa mala impellentia ad iram, & ſic eſt manſuetudo. Vel circa mala impellentia ad fugam, & ſic eſt fortitudo. Si poſitiuè, vel circa delectabilia vitæ humanæ neceſſaria, & circa illa exercetur temperantia. Vel circa delectabile, non ita nobis neceſſarium, & hoc contingit tripliciter. Vel in ordine ad dicendum ea, quæ in nobis inſunt, & ſic eſt veritas. Vel circa delectabile in ioco, & ſic eſt comitas & eutrapelia, vel eſt circa delectabile in conuictibus & conuerſationibus ſerijs, & ſic eſt amicitia. Sic iſta celeriter cucurri, vt certum cōdiderim: amicitiam mediocritatem ſibi annexam habere.

Verum enim verò non omne id, quòd nomine amicitiæ veſtitur, mediocritate, de qua in præſenti ſciſcitatur, ſubinduitur. Nam amicitia (teſte Ariſtotele) hoc noſtro lib. 8. ad textum 1. triplcem acceptionem permittit; nimis latam, minus latam, magis ſtrictam, 1. modo ſumitur pro qualibet conſonantia, & concentu, quo res variæ requiem pacificam viciſsim poſsident, qualiter elementa amicari dicta ſunt in rerum prima conditione, 2. inſumitur pro inclinatione, qua quis depellitur ad benefaciendum alicui. Sed amicitia neutro modo ex ijs li-

tem nostram intrat. Non 1. modo, vt consideranti compertum erit. Quod etiam in secunda acceptione quæstionem fugiat.

Probo sic: nam eo modo amicitia in hoc casu subit examen, quatenus mediocritatem laude digna inuenit, & conseruat. Sed amicitia secundo modo insumpta digna laude mediocritatem non tangit. Ergo sic accepta quæstionem non intrat. Maior est certa, nam eo modo fit discusio de ea, quatenus mediocritate obtenta iustas non mereatur quærelas, sed dum digna laude mediocritatem attingit, quærelas non meretur iustas. Ergo intrat amicitia quæstionem, quatenus mediocritatem adipiscitur laude digna. Sed si sumatur amicitia, secundo modo recensito, non acquirit mediocritatem cũ laude. Ergo sic accepta quæstionem fugit. Probo minorem hanc: quia secundo modo insumpta amicitia est passio naturalis., qua quis insito motu in collatione benefitiorum naturaliter pellicetur, sed quod à natura est, laudem non promeretur, nec detractionem. Ergo secundo modo amicitia insumpta non acquirit mediocritatem cũ laude. Ergo sic nõ intrat litem nostrã.

His addiderim quod eleganter docet Aristoteles in hoc 8. lib. textũ 3. hoc modo vsurpata amicitia mediocritatẽ nõ serbat frequẽter, quia iã flectitur in excessum, iã in deffectũ vertitur, & ponit exemplũ in eo, qui dum primo amicum videt, in fletũ præ lætitia mititur, & in acria euaporatur suspiria; hoc enim mediocritati amicabili per excessum ouiat, & è contra contingit alijs (quos insensibiles vocat Author) dum primo amicos desideratos conspitiunt, nihil ad extra gaudij eruere, & isti à mediocritate per deffectum absunt.

Amicicia passio mediocritatẽ nõ seruat.

Amicitia igitur, vt nostra interest, sumitur pro habitu, quo quis habilis redditur ad sedãdas passiones dictas naturales. Vnde amicitia hæc est virtus, quæ nunc

me-

mediocritatem feruare dicetur, quando iuxta rationis regulas existimationemque cordati viri ita excessum effrenauerit, defectumque suppleuerit naturalem, vt bono viro videatur, illum sic in amicabilibus se gerentem quasi in statera æquali collocatum est.

Notaturus sum amplius: Perfectius esse amare, quam amari, sed quia verba notabilis huius triplicem sensum obtinent, in quolibet eorum significata lustrabo: & illũ, in quo veritatem non redoluerit, refellam, eum eligẽs, in quo veritati adhæserit. Hoc inquam dictum perfectius est amare, quam amari, hunc primum patitur sensum, quod scilicet actus, quo quis amat, sit perfectior, actu, quo alter amatur, & hic est spernendus, quia ipsa falsitate vincitur: Ratio: nam actus, quo, quis alterum amat, est idem cum actu, quo alter amatur. Ergo actus, quo quis alterum amat, perfectior nõ est actu, quo alter amatur. Antecedens est certum: nam idem amoris actus bifariam præstat, licèt absimilem denominationem: Nam principio, quod, illud efficienti, nempè personæ, intrinsecam denominationem amantis præstat, & subiecto, circa quod tendentia illa versatur, denominationem extrinsecam amati confert. Ergo idem ille actus, quo quis amat, amatur & alius. Ergo non potest in hoc sensu amare esse perfectius amari. Probo consequentiam: nam idem sibi ipsi non præstat, nec imperfectione cadit.

Perfectius est amare, quã amari.

Secundo modo expendi potest notabilis dictum, quod scilicet amans sit amato perfectius, & iste sensus priori est peior, immo nostro textui dissonans: sibi enim in epigrafe Aristoteles decernit: Pares in perfectione personas in qualibet amicitia honesta, vtili & delectabili posse mutuo beneuolentiæ ligamine vinciri: immo si credimus Anonymo Lugdunensi argumentum diuturni amoris personarum æqualitatem censebimus. Audi

Anonymum; *duæ sunt res, quæ amorem confundunt, metus scilicèt & inuidia, idque ibi demum fit: cum vel de gloria, vel de potentia certamen inuitur: nam quandiù ea vtrinque æqualia sunt, amor quoque valet. Vbi alter excedit alterum; ibi & inferior inuidia permotus, odio superiorem prosequitur, & potentior contemptu imbecillioris elatus contumeliam infert; & exinde quærelæ amorem confundentes subpullulant.* Hæc Anonymus, & compte, vbi dúo monet. Primum, æqualitatem in personis amorem, vt durationem obtineat, efflagitare. Secundum: inæqualem personarum perfectionem non semel amorem interire. Ex quibus fit: notabilis nostri dictum videlicèt perfectius est amare, quam amari, hūc sensum non reddere; quòd amans sit perfectius amato.

Tertius sensus, quem sustinet propositio nostra est, quòd amare sit perfectius amanti, quàm sit amato amari, & hunc sensum veritas firmat. Ratio: quia perfectio magis consonat ei, cui intrinseca est, quam ei, cui forinsecè extrinseca censetur. Sed amare amanti est intrinsecum, & amari extrinsecum amato. Ergo amare perfectius est amanti, quam sit amato amari. Minor est certa: nam per amorem constituitur amans intrinsece in actu secundo viuens. Ergo amare est intrinseca perfectio amanti. Tunc vltra: amari est denominatio extrinseca ab amore amantis in amato parta, vt vidimus supra. Ergo amari in amato quid extrinsecum iudicatur.

amare perfectius est amanti, quam amari amato.

Hoc ipsum hæc existimatio suadet: in moralibus, quod voluntarium est, perfectio moralis est. Sed amare amanti est magis voluntarium, quàm sit amato amari. Ergo amare perfectius est amanti, quam amato sit amari. Maior est dogma in Aristotele tritum. Tū 3. lib. ethic. tex. 11. Tum 4. lib. ethic. tex. 1. Tum etiam cap. 2. de fœlicitate lib. 1. Minorem probo: illud est magis voluntarium, quòd magis nostræ potestati subditur, vt

patet de textu 1.lib.eth.5.de inuito,& volũtario, sed amare magis subiacet amãtis potestati, quã amari subdatur amato. Ergo magis voluntariũ est amare amãti, quã amari amato. Minorẽ probo: nã amare est actus liber ab amãtis voluntate profectus, taliter vt amans pro delectu suo ab illo possit arceri. Tunc vltra amari non pendet ab amati volũtate, vt patet de textu 1.lib.ethic. 5.in cuius textus specie amorẽ, & odiũ respectu amãtis, & odio habiti prædicat author opera aliena. Rursũ hoc fulcio: nã contingit inanimata à viuentibus amari. Ergo amari non est in potestate amati. Sed quod non est in potestate alicuius, est minus illi volũtariũ. Tunc vltra quod minus est voluntarium, est minus moraliter perfectum. Ergo cum omnia ista de amari respectu amati efferãtur. Fit: amari respectu amati imperfectius esse, quàm amare respectu amantis.

His igitur perniciter cursis. Prima partiuncula huius secundæ principis partis finẽ agnoscit: hucusq; linguã in suggestu peruenit, & horologij præpeditus ictibus Conclusiones dubio responsiuas recitare non valui, illas nunc prælo mandare libuit.

Conclusiones parantur.

Sit igitur Positio prima: Amans occasionẽ non habet iustæ quærelæ aduersus amatũ, eo quod solũ ab illo redametur, aliquid vltra non peragens. Ratio: nã eo ipso, quod amatũ amantẽ amet, vltra facere in amantẽ nõ tenetur. Ergo si amans semel ab amato redametur, iniustè cõquæretur de illo, eo quod in ipso vltra nõ peragat. Antecedens probo: nam eo ipso, quod amatũ amantem amet, totũ debitum soluit. Ergo eo ipso, quod amatum amantẽ amet, vltra facere in amantẽ non tenetur. Antecedens probo: illud debitũ tenetur soluere amatũ, quod ex amore amantis contraxerat: sed debitũ, quod ex amore amantis contraxit solũ est illud redemare. Ergo eo ip

ſo, quòd amatum amātem amet, totum debitum ſoluit. Minorem probo: nam debitum, quòd amatum contraxit eſt amantem ſe conſtituere terminum extrinſecum amoris. Sed eo ipſo, quòd amatū amantem amet, illum conſtituit terminum extrinſecum amoris. Ergo debitū, quòd amatum ex amore amantis contraxit, eſt illum red amare. Maior patet: nam quòd amatum ab amante accepit, eſt, eſſe extrinſecum terminum amoris ſui. Ergo debitum, quòd contraxit ex amāte amatum, eſt illud cōſtituere terminū extriſecū ſui amoris. Antecedēs ſupponit cōcluſionis ſpecies. Cōſequētiā probat vſitata debiti deſcriptio; illud enim nō obligat quēpiā ad plusquod ab alio accepit. Ergo eo ipſo, quòd amatū amantē amet totū debitū ſoluit. Conſequētia præterquā quòd euidēter illata à Seneca fulcitur per hæc: *Qui tantum amatur, tantum amare tenetur.* Et ex inde ni fallor ortū duxit vulgaris Caſtellana fraſis: *Amor con amor ſe paga.*

Nec refert, ſi dicas: teneri amatum vltra redamationē gratiarū actiones rependere amanti, ea ſcilicèt ratione, quia cum Petrus V.g. amans Ioannem, poſſet illum non amare, & Franciſcū diligere, noluit iſtum, ſed Ioānem elegit amandum. Hac igitur cauſa reſultat in Ioanne obligatio, non ſolum Petrum redamandi, ſed præſtādi illi actiones gratiarum: eo quòd præ alijs fuerit electus terminus complacentiæ ſuæ.

Incrementum ſumit ſolutio hæc ex Ariſtotele 3. ethicorum cap. 6. propè finem: in cuius textus ſpecie decernit aliquando in emptore duplex inueniri debitum. Vnum ex contractu ortum. Aliud ex gratitudine deriuatū, vt ſi quis rē vendiderit Petro, illū præ alijs in emptorē aſſumens; tūc Petrus præter prætij ſolutionē, qua ex iuſtitiæ titulo adſtringitur; alio ligatur, licèt nō ita ſtricto debiti nodo ex virtute gratitudinis ſuborto; ea ſcilicèt ratione, quòd ille à vendente equū. V.g. præ omnibus

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

alijs fuerit electus in emptorē, cū possit, si vellet, illum respuere, & alios in emptores sibi optare. Hac non absimili ratione potest in nostro casu discurri, quòd ille, qui cœpit Ioannē amare, posset aliū, & non illū diligere: vnde eo ipso, quòd Ioānes sit præ cæteris electus, & affectuosè assumptus contrahet duplex quasi debitū. Vnū ex generali ratione amoris profectū, quo teneatur se amātem amare, aliud ex particulari circunstantia, quod scilicet præ omnibus fuerit electus, promanans, quo teneatur ille actiones gratiarū se amanti præbere. Vnde si sic amatū solum amantē amet, licet vnū debitū soluat, non totum debitū contractū explet, & sic si solutionem istius debiti amatum omisserit, hoc est, si amanti actiones gratiarum non rependerit, licet ab illo redametur, iustè amans amatum incusabit, vtpote, quia totum, quod contraxerat, non soluit.

Amatum eo, quod ametur solum, non contrahit debitum rependendi gratias amanti

Sed in istā solutionē agit hæc ratio: amatū ea præcisa ratione, quod ametur, non tenetur ad actiones gratiarū amanti præstandas. Ergo ruit solutio. Antecedēs probo: amatū ea præcisa ratione, quod ametur, solū reditur terminus purè extrinsecus amoris amātis. Ergo ea præcisa ratione, quod ametur, non tenetur amatū ad actiones gratiarū amāti præstandas. Antecedēs probo: quia per amorem amantis denominatur solū Petrus amatus. Ergo Petrus per amorē amantis solū redditur terminus amoris amātis, non intrinsecus, vt patet. Ergo extrinsecus. Ergo amatū ea precisa ratione, quod ametur, nō tenetur actiones gratiarū amanti præstādas. Probo cōsequentiā: nā actiones gratiarū essentialiter supponunt beneficiū acceptum, pro quo exhibenti conferuntur. Sed ex eo, quod amatum ametur, ea præcisa ratione nihil recipit ab amante. Ergo amatum ea præcisa retione, quod ametur, nō tenetur gratias referre, amanti. Probo minorē: nā amatum ea ratione qua amatum solum est termi

nus purus amoris. Sed purus terminus nihil recipit ab eo, cuius est terminus. Ergo amatū ea ratione qua amatū nihil ab amãte recipit. Probo minorē: nã illud quod recipit subiectū est. Sed amatum non est subiectū amoris amantis. Ergo quod purus terminus est non recipit. Minorem probo ex notabili vltimo. Vbi ideò statui, amare esse perfectius amãti, quã sit amato amari, quia amãs se habet vt subiectū amorē intrinsecè recipiēs; adeò quod amor est illi perfectio intrinsecè recepta in ipso; at ille idem amor quo Petrus denominatur amatus, hūc vt purum terminum in illo minimè receptū contuetur. Ergo amatum non est subiectum amoris. Ergo amore amantis non perficitur amatum. Ergo amatum ea ratione, qua amatum ab amante emolumentū non sumit. Ergo benefitium nullum ab amante acquirit ex eo, quod ab amante ametur. Ergo ex eo, quod diligatur, non cõtrahit debitū ad reddendum gratiarum actiones amanti. Cõsequentia ista est euidens ex indispensabili gratiarū actionum genio necessario supponente in subiecto illas præstante benefitiū ab illo, cui rependuntur. Ergo si ad agendū gratias non tenetur amatū, perperam illum incusabit amans ex eo, quod eas illi nõ præstiterit amatū.

Ex his disparitatem infero in amore, ex vna, & venditione ex alia parte, quod ille, qui equum. v. g. vendidit Petro illum præ cæteris in emptorē eligens, non solum illum optat, vt terminum extrinsecum optionis, & dilectionis suæ, sed vt subiectum tale benefitium recipiens: nã videns venditor, quòd qui equm ab illo emerit, plura emolumenta esset accepturus, decreuit eligere Petrū, & non alium, eo scilicet fine, vt ipse, & non alius dictas vtilitates exequi possessione resultantes, obtineat. Vnde Petrus, qui emit, duplex cõtrahit debitum. Vnum ex iustitia ad soluendum prætium iuxta tãtitatē pacti illud præfigentis. Aliud ex gratitudine, non quia præcisè fuit

Disparitas emptionis & venditionis ex vna, & ex simplici amore ex alia parte.

 ter-

terminus amoris præ cæteris electus, ſed quia electus fuit vt ſubiectum receptiuum proficuitatum ex poſſeſſione æqui illi accreſcentiũ. Vnde ſi ſoluerit, quod pactum eſt, & actiones gratiarum non rependerit, licèt vnã partem debiti ex iuſtitia exæquauerit, relinquitur in expleta alia pars debiti ex gratitudine, quam ſi omiſſerit, iuſtè amicus venditor illum increpabit.

Non tenetur amicum blandimenta eruere in amicitiæ ſignum.

Secunda poſitio: amicus, qui amico benefitia contulit, iniuſtè illum incuſabit, eo quòd eum excipiens demonſtrationes ingentes gaudij, & lætitiæ non elicuerit. Ratio: quia ex eo, quod aliquis benefitia acceperit, non contrahit debitum ad id, quod vires eius ſuperat. Sed ſimilia blandimenta, riſus ſcilicèt eximius, oſcula conſtringẽtia, præ lætitia fletus, &c. pluriũ ſuperat poteſtatem. Ergo ad illa perpetranda nemo contraxit debitum, quamuis ſe benefitiorum debitorem agnoſcat. Minorem probet textus Ariſtotelis 8. lib. ethicorum capit. 6. in cuius textus ſpecie decernit Ariſtoteles: homines ſenes, & tetricos non ita palam ſuam amicitiam intus latentem aperire valere; quia illi præ nimia ętate valdè mœrent, & ſiccitate compreſsi ſanguinis madefactione orbati non virent arefacti, & ſic difficulter in riſum erumpunt, quibus contingit ſemper ſereno vultu in cõuictibus amicabilibus cõmorari. Hoc ipſum homines tetrici peragunt; iſti enim quia ferrea humorum contextura coaliti ſemper ſerij, ſemperque pergraues in conuerſationibus quantumuis delicioſsis perſiſtunt, ita vt ex eis facilius ignem excutias, quàm riſum elicias. Iſtos inquam homines verè amicitiæ leges cuſtodire, docet Ariſtoteles: loco ſupra citato; nec non libro nono capite primo. Ergo ſupra iſtorum vires eſt, illa blandimenta exequi coram amicis, à quibus benefitia receperunt. Ergo ex eo quod ſimiles homines huiuſmodi actiones, non mandent executioni,

ni, iniuſtè à benefactoribus ſuis incuſabuntur. Probo conſequentiam; nam iniuſtum eſt; imo ridiculum conquæri de illo, quòd non faciat, cuius executionis, eſt impos.

Nec refert ſi dicas: iſtam probationem ſolum concludere de hominibus ita ferrugineo corde contextis, vt omni blanditiæ ſint orbati; non vero de illis, quibus ineſt poteſtas illa blandimenta eliciendi. De his enim iuſtè conquæretur benefactor amicus, ſi dum primo ab illis videtur præ lætitia in fletum non erupuerint, & in vagitum præ gaudio non ſe euaporauerint.

Sed non iſta reſponſio refert: nam contra illam hæc tertia ſtabilitur concluſio: amicus benefactor iniuſtè conquæretur de ſuis benefactis, in caſu, quo iſti, ſe à talibus blanditijs coercuerint; etſi in illis adſit poteſtas ad illas demonſtrandas. Ratio: nam iniuſtum eſt illas blanditias exequi ita ingentes. Ergo eſſet iniuſta quærela aduerſus amicum illas voluntariè omitentem. Antecedens probo: iniuſtum eſt, à mediocritate, quàm cuſtodit virtus, recedere. Sed præfata opera deuiant à mediocritate, quàm virtus amicitiæ ſeruat. Ergo illa exequi iniuſtum eſt. Minor eſt per ſe nota & ab Ariſtotele edocta, vbi vt mediocritatem amicitiæ impingeret, triplicem amicitiæ vſurpationem attulit, & relicta prima, quàm legere poteris in notabili, duas brebiter tranſcribã; accipi amicitia poteſt pro paſsione naturali, qua quis ad benefaciendum alteri impellitur. Secundo modo pro facilitate, qua quis redditur habilis ad paſsionem illam ſedandam, ne per exceſſum à mediocritate, vel per defectum elongetur. De ijs abſimiliter loquitur Ariſtoteles. De prima ait Author: mediocritatem non ſeruare. De ſecunda ait: mediocritatem cuſtodire; poſtea oſtendens, quod

2. ethic. cap. 2.

de Prima asseruerat, ait. hæc enim iam in excessum, iam in deffectũ flectitur, hoc enim mediocritati, quã amicitiæ virtus custodit, ouiat. Ex ijs hanc breuem palioratio nem in minoris illius probationem. Ergo illæ blãditiæ adeò ingentes mediocritatem virtutis amicitiæ violãt. Ergo iniustum est: illas pro amicis exequi: ergo iustum est illas omittere. Ergo ex eo, quod benefactus blandimenta recensita non exercuerit, amicus iniustè conquæretur de illo, & si alias posset sine scandalo ea omnia executioni mandare.

Quarta Positio: Amicus iniustè incusabit amicum, cui aliàs benefitia contulit, si iste non retribuerit tantũdem secundũ qurntitatem. Hanc conclusionem probat textus noster in calce capitis, vbi ait: benefitiorum collationem inducere obligationem in recipiente ad retribuendum non secundum dignitatem benefitij prius recepti, sed secundum id, quod vires suppetunt retribuẽtis. Non enim in omnibus amicitijs fieri potest, vt secũdũm dignitatem retributio fiat. Sed secundum id, quod fieri potest. Dijs enim immortalibus, & parentibus non tanta benefitia reddere possumus, quanta eis reddenda sunt. Ergo ex eo, quod amicus alteri, à quo benefitium accepit, retributionem æqualem secundum quantitatẽ non præstet, nec præbet illi occasionem iustæ quærelæ. Ergo iniustè illum increpabit, quia tantumdem à retribuente non recepit.

Nec refert dicere: istum textum solum cõcludere de amicis, qui in potentia impares, ille, qui retribuit, quia inferior, æqualia dona nõ possidet, quæ retribuere possit; quaptopter escusatur à retributione æquali secundũ quantitatem; at non concludere de amicis ex æquo potentibus, tunc enim cum parili munerum cumulo sint referti, fit: quod illorum quilibet retribuens teneatur, æqualia dona receptis suo amico conferre, quod si id

non egerit, alter iustè illum increpabit.

Sed non refert hæc solutio, contra quam hanc statuo conclusionem: amicus iniustè incusabit amicum, cui iã diu benefitia contulit, si iste non præstiterit tantundem secundum quantitatem; etiam si in illo stet facultas adæqualia bona exhibenda. Hanc positionem hac ratione ex paritate deprompta fultio: amicus benefactus solum tenetur ex vi benefitij suscepti ad tetributionem secundum proportionalitatem æqualem. Ergo non tenetur ad retributionem æqualem secundum quantitatem. Antecedens probo: in communicationibus commutatiuis ex iustitia, iustum solum continet contra passum secundum proportionalitatẽ. Ergo in amicabili retributione solum refundetur in recipiente beneficium debitum retribuendi secundum proportionalitatem: antecedens probo: coniunctio rerum, & personarum in communicationibus commutatiuis secundum diametrum, retributionem facit. Sed coniunctio secundum diametrũ fit secundum proportionalitatem. Ergo iustum commutationum est re passum proportionale. Maiorẽ declaro ex Aristotelis placitis lib. 5. ethic. c. 5. Sit ædificator, A Calceorum confector, B, domus, G, & calceamentum D, & ordinentur in quatuor angulis quadrangularis figuræ. Hanc inspice.

AEdificator.	Coriarius.
A.	C.
C.	D.
Domus.	Calceus.

Tunc secunddm vnum diametrum coniungantur ædificator & calceamentum; & secundum alium diametrum corioarius & domus copulentur, tunc si debeant artifices dicti sua opera commutare, oportebit, ædificatorẽ pro suo opere accipere à Corioario calceum, & ipsum corioarium tenere suum opus ædificatori præstare. Sed

in his ſolum attenditur repaſsio ſecundum proportionalitatem; non vero ſecundum quantitatem. Ergo in communicationibus commutatiuis ex iuſtitia ſolum petitur contrapaſſum ſecundum proportionalitatem, ex hac doctrina ab omnibus explorata infero. Ergo in retributionibus amicabilibus ſolum attendetur proportionalitas, non vero æqualitas ſecundum quantitatem: conſequentiam probo ex paritate, potiſsimè cum ex benefitijs acceptis etiam in amicitia vtilium debitum, quòd contrahitur, non ita ſtrictum, & rigoroſum ſit, ac illud, quòd ex iuſtitia commutatiua contrahitur. Tunc ſic: amicus ex vi benefitij ſuſcepti ſolum contrahit debitum ad retribuendum æquale ſolum ſecundum proportionalitatem. Ergo non tenetur retribuere ſecundũ quantitatem æquale. Non tenetur. Ergo etiam ſi poſsit illud conferre, & omittat in nihilo iura amititiæ violabit. Ergo iniuſtè amicus incuſabit amicum, cui iamdiù benefitia contulit, ſi iſte non præſtiterit tantumdem ſecundum quantitatem.

Plura, quæ ſe offerebant, omitto lubens, quia intra viginti quatuor horarum non occurſa, ea ſolum exaro, quæ ore protuli, & quæ præparata propter vnius horæ brebe ſpatium reticui.